Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36534
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

uersus aerias potestates uel etiam nostre mentis aut corporis uitia
certamine. Pacis autem cum perfecta uictoria coronam. ac fructu ligni
uite perpetuo sine fastidio saciam. Haec ergo de creatione mundi (Beda)
atque hominis constitutione in paradyso hystorialiter siue spi
ritaliter secundum maiorum nostrorum dicta ac sensum breuiter explanantes.
librum primum huius operis hoc loco terminari consuimus: ut cetera que
scriptura sacra post deiectionem ade de paradyso commemorat:
in initio sequentis libri consideremus.

Explicit Liber Primus. Incipit Liber Secundus.

ADAM UERO COGNOVIT EVAM UXOREM SUAM. QUI CONCEPIT
& peperit cain dicens. Possedi hominem per deum.
(HIERON.) Cain adquisitio siue possessio interpretatur. id est
KINEIN. unde et etymologiam ipse exprimens
ait. CANITHI. id est possedi hominem per deum.
ss. Rursumque peperit fratrem eius abel. Abel interpretatur luctus. siue
ss. uanitas. uel uapor aut miserabilis. Fuit autem abel pastor ouium
ss. & cain agricola. Factum est autem post multos dies ut offerret cain
ss. de fructibus terre munera domino. Abel autem optulit de primo
ss. genitis gregis sui & de adipibus eorum. Et respexit dominus ad abel
ss. & ad munera eius. ad cain uero & ad munera eius non respexit.
ss. Unde scire potuit cain quod fratris munera suscepisset deus & sua
repudiasset. Nisi illa interpretatio uera est quam theodotion
posuit. & inflammauit dominus super abel & super sacrificium eius.
super cain uero & super sacrificium eius non inflammauit. Ignem autem ad sa
crificium deuorandum solitum uenire de celo & in dedicati
one templi sub salemone legimus. & quando helias in monte car
(GREG.) melo construxerit altare. Ab omnipotente namque deo munus
ex manu non accipitur. quod corde obligato in malitia profertur.
Mundare 9cni debet prius animum qui munus offerre uult.